

Act. 11. 5. Atq; huius nos admonet Paulus ad Heb. 13. 3. *Memores, inquit, estote vincitorum tanquam una cum illis vinciti, eorum qui malis premuntur, ac si ipsi corpore afflicti essetis.* Et hæc est voluntas Dei nostri, ut aliorum damnis & calamitatibus afficiamur, gaudentes cum gaudentibus, & flentes cum flentibus, 1. Cor. 11. 26. Rom. 11. 15. Ita in Martyrologio multis in locis legimus, non solum pios, piis martyribus condoluisse, sed & sæuos lictores persæpe, ad compassionem & iustam condolentiam permotos, rigida & sanguinaria hostium veritatis iudicia & decreta exequi noluisse, & officium suum potius deserere, solumque vertere voluisse, quam piorum & innocentum hominum occisores esse. Sed & huic propositioni finem imponere tempus nos hortatur.

Quod restat ardentibus votis Iesum pro nobis crucifixum sollicitabimus, ut nos in saluberrima crucis suæ communionem conseruet, nosque Spiritu suo sancto ita regat, ut in omnibus afflictionibus nostris solida & constanti fide ipsum apprehendamus, cum eo veterem nostrum hominem crucifigamus, & peccati corpus mortificemus, donec tandem per mortem ex omni cruce erepti & in cælum traducti, perpetuo illum laudemus & celebremus, Amen.

---

### C O N C I O XIII.

*DE SEPULTURA CHRISTI, ET INIURIA CHRISTO mortuo illata. Ex textu Matth. 27. à v. 57. ad fin. cap. Marc. 15. à v. 42. ad fin. Luc. 23. à v. 50. ad fin. Io. 19. à v. 38. ad finem capituli.*

**P**eruenimus ad vltimum passionis Christi actum, qui est de sepultura eius. Historia illius ab Euangelistis fideliter consignata est, ideoq; tantò diligentius nobis est consideranda, quanto maior persona quæ hîc sepelitur. Narrationis duæ sunt partes. Prima recitat circumstantias sepulturæ: Altera iniurias Christo iam mortuo, & sepulto illatas.